1532 24. 8. Aprilis

# Sigismundus Rex Poloniae Capitulo Gnesnensi

82

Venerabiles Devoti Nobis dilecti

Declaravit Nobis aliquoties Mcus Hieronimus de Lasko Palatinus Sieradien una cum Generoso Stanislao fratre suo Rmum Archiepiscopum in animum sibi induxisse ut ea fundatio quae ex certis Sacerdotiorum proventibus, ejus Praedecessor Rmus Dominus Archiepiscopus proxime defunctus, fecit, et ordinavit, disturbaretur et prorsus fieret irrita in qua re cum et sibi et defuncto Patruo nonnullum praejudicium afferri dicerent, supplicarunt Nobis, ut huic rei ex iis rationibus pro authoritate et gratia Nostra Consulamus, Quare nos petitione illorum permoti et simul, quod justum et aequum censeamus ne mortuorum Acta sine justa et legittima Causa retractentur, hortati sumus Rmum Dominum Archiepiscopum praesentem ut ita cum Dominis de Lasko, negocium hoc tractet et componat, ne et ipsi et defunctus Patruus eo praejudicio afficerentur. Devotiones etiam Vestras praesentibus hortamur ut quantum in se est, Pti suae hoc suadeant, quod et honestatis et aequitatis rationes postulare videbuntur neque committant, ut concessiones et decreta semel

roborata

Roborata nunc diversis sententiis et contrariis suf
fragiis mutentur et infringantur. Facturae Do
minationes Vestrae rem suo officio et professione
dignam et praeterea et piam, aequam, decentem et No
bis singulariter gratam.

Datum Cracoviae 8. Aprilis Anno Domi
ni 1532. Regni Nostri 26.